




Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-208021-p0001-3

DFG



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-208021-p0002-9

DFG

37) 5500  
176935.  
**PROCANCELLARIUS**  
**CHRISTIANVS LUDOVICVS<sup>9</sup>**  
**STIEGLITZ**

S V M M I S  
I N I V R E H O N O R I B V S  
DOCTISS. CANDIDATVM

D O M I N V M

**IOH. IAC. HENR. HERRMANNVM**

LIBER. ART. MAGISTRVM

DIE XVI. NOVEMBR. MDCCCLXIX.

O R N A T V M I R I  
NOTVM FACIT

E T

FAMVLIS AEGROTANTIBVS AVT EORVM  
MORTVORVM HAEREDIBVS MERCEDEM INTEGRAM ANNAM  
PRAESTANDAM, ATQVE SOSTRVM PRO EORVM SALVTE  
RECVPERANDA SOLVENDVM ESSE  
DEMONSTRAT.





um me inopinantem et negotiis distictum  
praesens officium deprehendat, neque de  
qua potissimum re tempori et solennitati  
congrua agam, statim in mentem veniat; li-  
ceat mihi, cum interdum multos, animad-  
uertissem, seruos non admodum bene curasse, sed eos adeo  
pro animalibus habuisse, famulis aegrotantibus vel morientibus  
aut eorum haeredibus totam mercedem promissam porrigidam esse,  
iure ciuili et naturali pro viribus corroborare.

Iam quidem aduersarii mei ratione satis probabili ince-  
dunt, et aegrotantibus famulis seu eorum mortuorum ha-  
eredibus mercedem saltem pro rata temporis quo seruitia  
praestiterint, dandam, neque adeo liberales dominos esse de-  
bere contendunt; hanc enim aiunt pro opera promissam esse,  
quae tamen ab aegroto aut mortuo non peracta fuerit, com-  
moti auctoritate Leg. 4 ff. de officio affessorum, vbi Comitibus  
Legati Caesaris ante tempus successorem accipientis salaryum  
integrum non praestandum esse legitur, item Leg. 15. f. 6. ff.

*loc. cond. et Leg. 120. ff. de Reg. Iuris.* Cum tamen videant quodam modo, hanc suam sententiam in genere ponendam non esse, limitibus eam circumscribunt, quo meae opinioni aliquid tamen concedere videntur, atque mercedem, si ipse conductor operae in culpa sit, quo minus ea praestari possit, ut si mortuus sit conductor, seruis esse concedendam, et si merces iam soluta fuerit, eam repeti non posse, aliamque rem esse, an locator nondum solutam mercedem actione petere, aliam an conductor operae solutum pretium repetrere possit, dicunt. Videamus itaque, quibus et an firmis fundamentis imposita sit aduersariae partis sententia. Evidemt hac in re contendere nolo, si quis pactum de opera per plures annos praestanda cum domino inierit, hunc, si ille vel primo statim anno mortuus fuerit, et mercedem in omnes pacti annos soluere debere; sed cum omnes pacientes de certo pretio, mercede et pensione annuatim soluenda, inter se conuenire soleant, hanc annuam mercedem eius anni, quo locator mortuus fit, non in menses seu septimanas quibus vixerit, diuidendam, nec si aegrotus tantum fuerit, hanc temporis ratam detrahendam, sed quod per annum promissum, totum praestandum esse. Ad Leg. 4. ff. de officio affer. si primum accedimus, videmus, eam aliter et ita esse explicandam, ut dicamus, Comitibus deberi salaryum, Legato Caesaris diem functo, quia in ipsis nulla culpa, sed in morte legati quaerenda; hoc casu ex fisco Caesaris salaryum ipsis porrigitur: aliam vero esse rationem, si legatus successorem ante tempus, quia non satis curate et rite functus officio fuerit, in poenam acceperit; hoc tempore Caesarem Comiti-

mitibus à Legatō electis salarium non praestare, eum Cae-  
sar iis nihil promiserit; non autem hac lege probatur et  
Legatum liberum esse a datione salarii Comitibus suis, cum  
quibus ipse pactum inierit. *Leg. 15. §. 6. ff. Locati cond.* Cum  
quidam, naue amissa, vētūram, quam pro mutua acceperat, re-  
peteret, rescriptum est ab Antonino, non immerito procuratorem Cae-  
sarī ab eo vētūram repeterē, cum munere uēhendi functus non sit.  
Si sensum adspicimus, videmus hic singularem esse casum et  
dispositionem, et contractum innominatum initum fuisse,  
in quibus, licet per eum non steterit, poenitentiae locus est,  
*Leg. 5. pr. ff. causa data*, nautamque plane nihil hic praestis-  
tisse; quod aliter in fanulo iam seruiente, aegroto, aut mo-  
riente esse deprehendimus. *Legem* vltimo loco oppositam  
*120. ff. de Reg. Iur. Nemo plus commodi haeredi suo relinquit,*  
*quam quod ipse habuit*, contrariam meac sententiam firmare,  
quisque et ea lecta, et penitatis quae sum propositurus,  
negabit.

Iam primum aduersariorum arma, et leges quibus in limitationibus vtuntur, ante oculos sumamus, earum rationes inspi-  
ciamus, additisque aliis, certam quandam normam in causa  
nostra mercedis ponamus. Sancitum videmus *Leg. 38. ff. loc.*  
*cond.* Qui operas suas locauit, totius temporis mercedem accipere  
debet, si per eum non stetit, quo minus operas praeflet. Aduo-  
cati quoque, si per eos non stetit, quo minus causam agant, ho-  
noraria reddere non debent; et *Leg. 19. §. 9. eod.* Cum quidam  
Exceptor operas suas locasset, deinde is, qui eas conduxerat,  
decessisset, Imp. Antoninus rescripsit ad Libellum Exceptoris:  
Cum per te non stetisse proponas, quo minus locatas operas An-

*tonio Aquilae solueres, si eodem anno mercedes ab alio non accepisti, fidem contractus impleri, aequum est.*

In casa itaque quo conductor operaे mortuus est, dandum esse mercedem nec datam repetendam concedunt, et, conductorum voluntate, translatâ mercede, his condicitionem, cum causa in eius obitu quaerenda, quo minus promissa praestari queant, et locatores parati sint; simul vero etiam locatoribus operaे nondum solutam quaerere actionem negant, ex ratione, quia merces operaе praestitae aestimatio sit. Sed quis non videt, si hanc ultimam rationem ponant, sibi contraria defendere aduersarios, et conductoribus eadem de causa, quod merces operaе praestitae aestimatio sit, opera non praestita ius esse debere, datam mercedem repetendi. Alia autem via procedendum certamque aliam generalem regulam formandam esse, cum ex propositis, tum sequentibus legibus persipiciemus. Deprehendimus Leg. 24. ff. de condit. et demonstr. *Iure ciuili receptum, quoties per eum, cuius interest conditionem impleri, fit, quo minus impletatur, ut perinde habeatur, ac si conditio impleta fuisset;* et Leg. 39. ff. de R. I. *In omnibus causis pro fatto accipi id, in quo per alium morae fit, quo minus fiat;* et Leg. 1. §. 13. ff. de extr. cognit. *Diuum Seuerum ab haeredibus aduocati, mortuo eo, prohibuisse mercedem repeti, quia per ipsum non fletur, quo minus causam ageret.*

Jam si haec omnia ponderamus, videmus in quaestione, an merces soluenda sit, nec ne, naturale aequum et bonum sequen-

sequendum et ita procedendum, hancque regulam ponendam esse: Mercedem esse dandam, etiam non praestita a locatore opera, si per hunc non stetit, quo minus praesliterit; in eius enim potestate non fuit, promissum seruitum peragere, hacque de causa illud praestitisse videtur, aequae ac in eo, si dominus sine causa famulum dimiserit, hunc plenam soluere mercedem statuunt, sufficit eum paratum fuisse, et si forte casu impediatur; ut in aduersariorum causa, qua merces a locatore, conductore mortuo, repeti non poterat, quia casus, mors nempe conductoris, locatorem ab opera arcebat. Eadem est ratio in locatore mortuo aut aegroto; ad casum praestandum nullo iure adigi potest; et culpam eum hic commisisse non videmus; per eum non stetit, quo minus promissa seruaret, licet in ipsius corpore et fato impedimentum deprehendatur; paratum eum fuisse ad officia peragenda censendum; quis enim cum voluptate aegrotet, aut libenter e vita decedat? Scriptum legimus L. 4. §. 5. ff. de stat. lib. *Seruire nobis intelliguntur etiam hi, quos curamus aegros, qui cupientes seruire, propter aduersam valitudinem impediuntur.*

Non igitur pro rata temporis soluenda merces aegroto aut, eo mortuo, eius heredibus, cum per eum non steterit, operas ad finem perducere. Merces pro officio, nec, cum haec causa sit individua, pro huius vel illius diei opera conceditur; licet itaque nihil hoc casu agat seruus aut famulus, sufficit eum fuisse paratum; atque hanc nostram regulam omni tempore et omni casu seruatam et adhibitan fuis-

se

se Iure Civili, in famulis aequae ac in honoratis, ut ex *Tit.*  
*ff. de off. affessor.* perspicimus, quibus totum salaryum annuum  
 constitutum, datum, licet ipsi medio tempore in fata con-  
 cesserint, et nostro tempore, amicorum Principum, Con-  
 filiariorum, Professorum, Senatorum, ministrorum verbi  
 diuini aliorumque decestu obseruari cernimus. Hoc in loco  
 fatis apto liceat mihi adhuc contendere, dominos ratione  
 vulneris aut damni in seruitio accepti ad expensas in cura  
 aegrotantis famuli factas restituendas obligari. *Carpzovius*  
*P. II. Conf. 51. Def. 14.* dominum ab hac obligatione libe-  
 rum, eumque seruo nil nisi mercedem pro labore et opera  
 praefsta debere iudicat, additque aliam esse rationem da-  
 mni accepti et vulnerum, aliam rerum in seruitio amissarum,  
 ductus *Glossa*, satis magna auctoritate, in *art. 6. Lib. 3. Landr.*  
*lit. a.* et sententiis Dicaesterii nullo arguento ornatis. Jam  
 vinculo amoris Christiani dominum adigi posse relinquam:  
 major enim plerumque videtur vis esse in argumento a natu-  
 ra et Jure ciuili petito. Si seruus labore et opera curate per-  
 acta, nam negligentem et oscitantem adeo puniendum cen-  
 seo, morbo, damno aut vulnera opprimitur, nonne quis-  
 que auctorem huius rei in seruitio, et culpam in domini  
 voluntate deprehendet? Fac dominum iubere, in scala va-  
 cillante libros alte repositos quaerere, hocque tempore ser-  
 vo humi procumbenti crux suffringi; et Jure naturae et ci-  
 vili dominum ad curam adhibendam praestandasque in hanc  
 rem impensas adigendum esse, quisque putabit. Miran-  
 dum maxime Carpzouium addere: „alia est ratio rerum fa-  
 „muli in servitio amissarum, quas si famulus adhibuerit,  
 „domi-

„dominus damnum iis datum resarcire tenebitur, quia  
 „persona famuli, non res eius, domino sunt obligatae.  
 Nonne membra pretiosiora rebus? Lectoribus iudican-  
 dum relinquo, an recte conclusum, eo quod persona fa-  
 muli seruit, et membra eius, cum sine iis nemo aliquid age-  
 re et porrigerere possit, ita domino esse consecrata, vt, si in  
 seruitio corrumpantur, damnum hocce a domino non resar-  
 ciendum, dolor non moderandus, aut miserabilis vita eius  
 non lenienda sit.

Sed quæ huic rei adjici possint, mittamus, et acceda-  
 mus ad Virum Praenobilissimum

I O H A N N E M I A C O B V M H E N R I C V M  
 H E R R M A N N V M

qui natus est die xxiii O&gt; Et. a C. N. c l o l o c c x x x ii  
 Vorsfeldae in Ducatu Brunsuicensi, patre Johanne Go-  
 dofredo, vestiario, et matre Anna Dorothea Schulzia.  
 Horum honestissimorum parentum cura factum est, vt  
 litteras latinas et graecas doceretur a magistris scholae  
 Grifisbergae in Pomerania citeriore, cuius rector Wich-  
 mannus eum non modo publica, sed etiam priuata di-  
 sciplina instituit. Postea in Saxoniam delatum Püchauiae  
 porro erudiit Güttnerus, a quo et hebraicas litteras ac-  
 cepti. Erat eo loco juri dicundo praefectus Hofman-  
 nus. Istius igitur commendatione Lipsiam venit ad

B

Grae-

Graefium, Virum Consultissimum, a quo est in domum  
receptus, atque institutioni Kelneri A. M. creditus.  
In Academiae Album inscriptus A. clocccliv. Recto-  
re Kappio, scholas plurimas omnis generis et publi-  
cas et privatas magno et indefesso studio paullatim fre-  
quentavit. Interfuit praelectionibus Ernestii in Cicero-  
nem, aliosque scriptores veteres latinos, item in ar-  
tem rhetoricae et historiam vniuersalem, Gellerti in  
varias partes litterarum, Baueri A. M. in Horatium,  
Heatschii A. M. in Ciceronem, Ernestii junioris in pa-  
trui sui initia doctrinae, solidioris, itemque in Suetoniu-  
m, Clodii in Horatium, Juvenalem et Ciceronem,  
Radolphi A. M. in disciplinas mathematicas, Crusii in  
Philosophiam vniuersam, Theologiamque Christianam  
dogmaticam, Winkleri in Chemiam Boerhauianam,  
Boehmii in historiam statuum, Sammetii in historiam im-  
perii. Juris doctrinam auspicatus est ab ejus Historia,  
ducibus Hommelio, III. Ordinis Ordinario, Bachio,  
Platnero, Sammetio, Conradio. Jus naturae didi-  
cit a Sammetio; Jus Civile Romanum a Platnero, Zolle-  
ro, Richtero, Sammetio, Conradio; Germanicetum a  
Wiefandio, Canonicum a Zollero et Breuningio,  
Criminale ab eodem Breuningio, Feudale a Sammetio,  
Processum, et quae ad Praxin pertinent a Bauero, pa-  
tre, et Boernerio; referendi artem a Zollero. Dispu-  
tando exercuit se magistris Platnero et Graefio. Me-  
dicinae partem eam, quae diaetae praecepta tradit,

co-

cognovit a Boernerio expositam. Anno clo ccl xii libellum, *de Virginum Vestalium Iure deprecandi pro reis*, sub WILKII praesidio publica disputatione defendit. Cum interea per annos tres duorum filiorum Caesaris, Rei Bellicae Commissarii Primarii, magistrum in hac Academia egisset, in Thuringiam arcessitus, annum vnum et dimidium in arce Beichlingia Comitem Illustriss. ab Auersperg instituit, deinde cum eo ad nos reuersus studia ejus academica per triennium rexit. Anno M D C C L XVII probata ICtis doctrina, Candidatus Juris et Baccalaureus creatus est. Notarius Publicus ab Amplissimo Senatu Lipsiensi; mox inter actores caussarum legitimos relatus. Anno praeterito spectatae legitimis tentaminibus doctrinae praemium, summos Philosophiae honores ab Amplissimo Philosophorum Ordo tulus. Ab eo tempore operam dedit Illustrissimo Comiti a Marschall, cuius studia academica per annum vnum et dimidium direxit. Proximo mense Octobri Ampliss. Philos. Ordinis concessu dissertationem Iuris naturalis, *de jure gladii*, publice ad disputandum propositam, defendit.

Superatis his ad altiora studiis, ordinem nostrum ICtorum, ut ipsi summos in Iure honores largiri velit, rogauit; et examinibus legitime atque cum laude ad finem perductis, ordo hos ei tribuendos decreuit. Pro more itaque die XV. Nov. L. 12. Cod. de usufr. et habit. et minist. seru. interpretabitur, et in sequenti Dissertationem *de variis cauiss-*

## XII

infanticidiorum defendet. Quo publico colloquio peracto,  
Vir Consultissimus et Excellentissimus, Collega suauissimus,  
Dn. IOHANNES THEOPHILVS SEGERVS I. et Ph.  
D. Tit. d. V. S. Prof. publ. Facult. Iur. Lips. Assessor etc.  
potestate a me Procancellario accepta, eum summis in iure  
honoribus, excepta spe in Ordine nostro succedendi, orna-  
bit. Quem actum ut Rector Academiae Magnificus, Co-  
mites illustrissimi, vtriusque Reipublicae Proceres, et genero-  
sissimi nobilissimique Academiae Ciues praesentia sua so-  
lenniorem reddere velint, enixe rogo. Dabam Lipsiae  
die XII. Noubr. cccccc LXIX.



LIPSIAE  
EX OFFICINA BREITKOPFIA.

**ULB Halle**  
004 053 532

3



88







176935.

PROCANCELLARIUS  
CHRISTIANVS LVDOVICVS<sup>9</sup>  
S T I E G L I T Z  
S V M M I S  
I N I V R E H O N O R I B V S  
DOCTISS. CANDIDATVM  
DOMINVM  
IOH. IAC. HENR. HERRMANNVM  
LIBER. ART. MAGISTRVM  
DIE XVI. NOVEMBR. MDCCCLXIX.  
O R N A T V M I R I  
NOTVM FACIT  
E T  
FAMVLIS AEGROTANTIBVS AVT EORVM  
MORTVORVM HAEREDIBVS MERCEDEM INTEGRAM ANNVM  
PRAESTANDAM, ATQVE SOSTRVM PRO EORVM SALVTE  
RECVPERANDA SOLVENDVM ESSE  
DEMONSTRAT.